



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum II. Decet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Neque dicas, quod per talem exemptionem, jus collectandi in a iquo territorio, magnum patiatur detrimentum, & Principi sæculari magnum damnum inferatur. Respondetur enim, negando sequelam hanc, cum diminutio hæc non fiat in proprijs bonis Principis, vel in iure æquivalente dominio proprietatis, ob cuius læsionem propriè loquendo damnum pateretur Princeps, ex negata sibi pensione iure iustitiæ commutativæ debita, sed tantum ex iure jurisdictionis, ex quo nulla est obligatio curæ, ut bona talia maneant sub jurisdictione Principis, vel Magistratus sæcularis, cum quilibet dominus proprietatis de bonis suis liberè disponere possit, præsertim illa donando Deo vel Ecclesiæ, per quam donationem, cum talia bona fiant Ecclesiastica, censentur merito talium bonorum naturam induere: præsertim cum in tali casu exemptus à tributis sæcularibus pendendis non tam habeatur ex auctoritate juris positivi humani, quàm ex auctoritate juris divini, vel humani in divino fundati. Videantur plura circa immunitatem Ecclesiarum & Ecclesiasticorum in *Theolog. Moral. l. 4. n. 9.*

## CAPITULUM II.

Decet.

## PARAPHRASIS.

Plurima in hoc Capit. præscribit Gregorius X. Pontifex in Concilio Lugdunensi Generali, ad reverentiam Ecclesiarum observandam, quod scilicet humilis, & devotus ad Ecclesiam ingressus esse debeat; quod debeat fieri exhibitio reverentiæ specialis, præcipuè dum pronuntiatur sanctissimum Nomen JESU, dum aguntur Missarum solemnia; quod orationibus in Ecclesia inserviendum, & nullæ excitandæ seditiones; quod sæculares civiles Conventus, seu Parlamenta, in Ecclesia facere non debeant; quod quæcunque profana colloquia, & multo

magis sæda & impura, quælibet confabulationes, & quæcunque divinum officium turbare possunt, intermitte debeant: quod in Ecclesijs earumque Camerarijs, negotiationes, iudicia sæcularia, maxime criminalia, ac nundine perimitti non debeant; quod processus & sententiæ iudicum sæcularium in Ecclesijs, earumque Camerarijs, prohiberi, nullius sint firmitatis, ita ut Laicorum etiam Ordinarios obliget Pontifex, ad curandam diligentem horum observationem; concludens tandem hanc suam Constitutionem, quod transgressores horum, qui præmissas inhibitiones perulant animo contempserint, & per processum Ordinarios, & ab illis deprecandorum Divinæ & Pontificiæ ultionis acrimoniam formidare debeant, donec summo confessi reatum, firmato proposito à similibus deliberaverint abstinere: quæ omnia sanctissime quidem pro reverentia tam Ecclesiarum, quàm divinatorum mysteriorum hoc titulo facta fuerunt, & longiore explicatione non indigent, cum clara sint omnia; licet tamen non tam sanctè, & accurate, ob negligentiam, & nimiam læpè Pærochorum dissimulationem observantur, quos convenientibus etiam penis, ut ad illis excitentur, qui in illos jurisdictionem habent, ad sanctiorem divinatorum, & suarum sibi commissarum Ecclesiarum curam videri velle Pontifex extimulare, dum vult eos hujus etiam Canonice auctoritate, & metu penarum terretandos.

## CAPITULUM III.

Clericis.

## PARAPHRASIS.

Etiam in hoc Capit. in eos Laicos invehit Pontifex Bonifacius VIII. qui Clericos collectis, tallijs &c. gravant. aliter, suadere antiquitatem, & præsentium ex-